Quelle: https://manuscripta.at/?ID=38221
Copyright: Salzburg, Erzabtei St. Peter, Benediktinerstift, Bibliothek



68

Lumen ad revelationem gentium & gloriam plebis tuae israhel.
Et erat pater eius & mater mirantes super his quae dicebantur
de illo. & benedixit illos symeon & dixit ad maria matrem eius;
Ecce positus est hic in ruinam & resurrectionem multorum in
israel & in signo cui contradicetur. & tuam ipsius animam
pertransiet gladius ut revelentur ex multis cordibus cogi
tationes. & erat anna prophetissa filia fanuhel de tribu aser.
haec processerat in diebus multis & vixerat cum viro suo annis
septem a virginitate sua. Et haec vidua usque ad annos octu
aginta quatuor quae non discedebat de templo ieiunis
& obsecrationibus seruiens nocte ac die & haec ipsa hora
superueniens confitebatur domino & loquebatur de illo om
nibus qui exspectabant redemptionem hierusalem & ut per
fecerunt omnia secundum legem domini. Ecce angelus
domini apparuit in somnis ioseph dicens: surge & accipe pue
rum & matrem eius & fuge in aegypto & esto ibi usque
dum dicam tibi. futurum est enim ut herodes quaerat puerum
ad perdendum eum. qui consurgens accepit puerum & ma
trem eius nocte & recessit in aegypto. & erat ibi usque ad
obitum herodis ut adimpleretur quod dictum est a domino per
prophetam dicentem ex aegypto uocauit filium meum.
Tunc herodes uidens quoniam inlusus esset a magis iratus est
ualde & mittens occidit omnes pueros qui erant in
bethlem & in omnibus finibus eius a bimatu & infra secun
dum tempus quod exquisierat a magis. Tunc adimpletum est
quod dictum est per hieremiam prophetam dicentem. Vox
in rama audita est. ploratus & ululatus multus rachel
plorans filios suos & noluit consolari quia non sunt.
Defuncto autem herode ecce apparuit angelus domini in som
nis ioseph in aegypto dicens. surge & accipe puerum &
matrem eius & uade in terram israel. Defuncti sunt enim
qui quaerebant animam pueri. qui surgens accepit puerum